

1521 studii, & benevolentiae obliti, ut est plebis natura novarum rerum appetens, omnia sursum, deorsumque misceri, & agitari cupiebant.

Harum rerum, bellique jam a Pontifice, & Cæsare adversus Regem declarati fama in Gallias perlata, qua opulentissimam Mediolanensem regionem validissimo exercitu aggressuros ferebatur, Regem permovit, ut nihil, quod ad hostium conatus arcendos opportunum foret, prætermitteret; idque in primis cum in Venetorum foedere situm esse existimaret, Lautrechio, qui illius nomine toti regioni præcesset, in Italiam misso mandaverat, ne quid Insubres detrimenti paterentur summa ope provideret; a Republica quæcunque ex foedere teneatur, requireret: sex porro peditum millia, sexcentos caphractos equites Venetos præstare pactionibus foederis cautum erat: præterea decem millia Helvetiæ gentis aduersiri, sex Gallorum millia in Italiam proficisci, magnam Italorum peditum manum conscribi jubet: his copiis aut æquo cum hoste marte certare, aut vim illius, conatusque repellere posse arbitratus. Verum Columna neque Neapolitanorum, neque Germanorum militum adventu expectato, reliquis collectis copiis, Ravennæ, Forocornelii, Bononiæ, Mutinæ, Regii lepidi præsidis relictis, ad millia passuum quinque prope Parmam proficiscitur, spe haud exigua fretus, si Helvetii Regi milites non dedissent, oppidanique aversis a Gallo animis aliquid novi molirentur, fore, ut nullo negotio urbe potiretur. Verum Helvetii pactos ex foedere Regi milites permiserant, quorum dum delectus haberetur, Georgius Suprasfassius Mediolanum cum quatuor Sedunensium millibus venerat; Lautrechius ad Parmam tuendam Scudum cum hastatis quadringentis, ac quinque Italorum peditum millibus miserat: Senatus ad Pontem vicum, ut Gallis præsto essent, copias cogi jusserat. Proinde Columna non omnino suis viribus fidens, in Parma expugnanda operam amissurum veritus, ni Aterni Marchio cum trecentis hastatis, ac duobus Hispanorum millibus ex Neapolitano regno adventaret, ac Germani ad sex millia adessent, nihil moliebatur. Cum vero ex Aeniponti comitatu in Mediolanensem agrum, nisi per Republicæ Venetæ fines, aditus non pateret, Cæsar a Senatu